

102895
DIES MEMORIAE

JESU CHRISTI

VITAE RESTITUTI

PIE CELEBRANDOS

AUCTORITATE

PRORECTORIS

**SENATUSQUE ACADEMICI
ERLANGENSIS**

INDICIT CIVIBUS

D. JOANN. GEORG. VIT. ENGELHARDT

THEOL. PROF. P. O.

~~~~~  
Disseritur de ludo paschali saeculi duodecimi, qui inscriptus est:  
*De adventu et interitu Antichristi.*

---

**ERLANGAE,**

TYPIS JUNGEANIS. MDCCCXXII.

Ed.  
Munde pa. celat.



§. 1.

Cum circumspicerem, quae exhortationi ad pie celebrandos dies paschales, qui proxime instant, praefarer, venit in mentem, quanta cum voluptate nuper antiquum legerim ludum paschalem, nec abs re visum est, programmati paschali pauca praemittere, quae ad ipsos festos dies paschales pertinent. Ludus paschalis modo memoratus, quem centum et quod excurrit abhinc annis cum eruditis communicavit Pezsius in parte secunda Thesauri, dignus videtur, qui paulo accuratius perpendatur non ideo solum, quod plura continet, quae ad historiam temporum illorum, quibus scriptus est, penitus cognoscendam faciunt, et non pauca offert, quibus docemur, quid de rebus tam politicis quam ecclesiasticis, iisque haud minimi momenti senserint illius aevi homines, sed hac potissimum de causa, quod indolem poeticam haud mediocrem in autore huius ludi agnoscere mihi videor. Accedit, quod unum hoc monumentum poeseos dramaticae inter Germanos hucusque notum aut saltem vulgatum habemus, ex antiquo isto tempore, et quod multum conferre videtur, ad rite iudicandum de similibus dramatis, quae apud caeteras extant nationes.

1) Ludus hic paschalis est ex illorum dramatum numero, quae mysteria nominantur. Antiquissima enim apud Christianos dramata hunc quoque in finem acta sunt, ut spectatores his actionibus sacras discerent historias. Haec de causa argumenta horum dramatum hauriebantur e scriptura sacra, nec non ex vitis sanctorum et martyrum, et in ecclesiis potissimum, coemeteriisque diebus sacris agebantur a clericis aut peregrinatoribus sacris. Inter haec argumenta cum incarnationis passionisque dominicae mysteria principalem tenerent locum, *mysterii* nomen ad omnia haec sancta dramata translatum. Prima horum dramatum mentio occurrit apud Anglos; undecimo enim jam saeculo Godofredus Normannus Parisiis in Angliam evocatus S. Catharinae mysterium (sic enim nominabatur) docuit in Anglia. Haec mysteria Saeculo XIVto ex ecclesiis et monasteriis in scholas migrabant et collegia, et saeculo demum XVto desinere coeperunt. In his mysteriis si loco Christi et sanctorum virtutes, vitia, aut aliae ejusmodi ideae tanquam personae in scenam introducebantur et dramatis personas agebant, (quod paulo serius factum) *moralitates* haec dramata sunt nominata, quae moralitates Anglorum tragoedias praecedebant, nec leve momentum illas in his tragoediis effingendis et constituendis habuisse constat. Simili modo res se habuit in Gallia, ubi tamen primum mysteriorum exemplum annis primis demum saeculi XIVti (1313) regnante Philippo pulchro occurrit. Quae in Germania saeculo decimo scripta sunt dramata in imitationem Terentii a Roswitha Gandershemensi huc non pertinent. Mysteriorum primum est in Germania (quod nos quidem novimus) hoc ipsum nostrum drama de adventu et interitu Antichristi. Prius quam in Gallia, in Italia mysteriorum mentionem invenimus, cum jam anno 1243 drama biblicum actum sit Patauii, mysteria autem passionis Christi repraesentarentur Fori Julii 1298. Haec dramata in Italia mimicas tantum actiones fuisse, nec dialogis usos esse illorum actores Flogelius asserit, quibus fretus argumentis non video. Serius in Hispaniam mysteria introducta esse videntur, at tempus longum retinebantur, actusque quos vocant sacramentales (autos sacramentales), quorum magnum numerum habemus summi Hispanorum poetae Calderonis nihil aliud sunt quam mysteria.

2) Pezium in praefatione Tomi II di thesauri sui, quo ludus noster continetur

dicit, illum sumtum esse e codice Tegernseeensis monasterii, scripto saecula undecimo; inscriptione porro, quam huic ludo praefixit in tabula contentorum docetur, Pezium persuasum sibi habuisse hunc ludum scriptum esse regnante Friderico I., cui a barba rubra est cognomen. Tegernseeenses codices nunc asseruantur in regia, quae Monachii est bibliotheca. Non dubito quin hic quoque noster codex ibi adhuc exstet. Quod si ita se habet, optabile quid facerent viris dramaticae poseos inter Germanos historiae amatoribus, bibliothecae illius custodes si hoc codice examinato, cui nam tempori sit adscribendus, et, num forte quaedam contineat, quibus conjici posset, quisnam auctor ludi et ubinam actus sit, cum republica literaria communicare vellent. Ego hoc solum curavi, sepositis nunc historicis explicationibus, ut quod consilium fuerit poetae appareat. Quod ut lucidius fieret in quinque partes distribui ludum universum, (quas partes si actiones nominare volueris non est, quod contra dicam,) et de metris a poeta adhibitis, et quomodo se habeat hic ludus ad dramatis historiam inter Germanos in universum, nonnulla adjeci.

## §. 2.

Consilium poetae nostri quod fuerit, si quaerimus, hoc videmus illum consequi voluisse, ut Imperatoris Germanorum dignitatem eximiam majestatemque monstraret, animosque auditorum ad summa adverteret pericula, quae christianae religioni imminerent tum a mundanarum rerum amore cui cuncti fere ecclesiae praelati dediti erant, tum ab animi levitate principum subjectorumque, qua hi erga fidem christianam erant affecti.

## §. 3.

Hunc suum finem ut consequeretur fabulam dramaticam excogitavit poeta. Duas res autem cum sibi proposuerit

auditorum mentibus repraesentandas, duo argumenta juncta videmus in ipsa fabula, aut saltem in duas partes fabulae argumentum dispescitur, quae duae tamen ad unum illum, quem memoravimus finem assequendum faciunt. Prima nempe actionis pars Romanorum Imperatoris potestatem viresque sic ob oculos ponit, ut videamus reges omnes illi subijci. His subjectis Antichristus introducit in scenam, alteraque actionis pars in eo consistit, ut quos subiecit sibi reges, imperator, imperatoremque ipsum servos suos faciat Antichristus, qui cunctis in servitutem reductis a divina solum potestate repente ingruente domari evertique potest.

## §. 4.

Haec fabula ut rite procederet, itaque se explicaret, ut timorem et misericordiam moveret auditoribus, eas dramatis sui elegit personas poeta, quas eminentissimas illis temporibus nosset, quarumque fata aliena a se esse spectatorum nemo credere posset, quibuscum laetari, quibus aut quos timere omnes necessario deberent. Produxit enim in scenam, quae summa ab illius aevi hominibus habebantur, quaeque partim ad saecularem, partim ad religiosam mundi partem pertinerent. Videmus paganismi personam actam per regem Babyloniae, Judaismum per Synagogam, ecclesiam deinde christianam per pontificem romanum clerumque; quod autem ad saeculum attinet, hoc continetur imperatore romano, qui quae arctissime cum illo est conjunctus, rege Germanorum, regibus deinde Graecorum, Hierosolymorum, Gallorum.

Alii non producantur reges. His quos nominavimus in scenam productis cuncta, quae sibi proposuit consecutus est poeta.

## §. 5.

Sic autem procedit drama ipsum. Scena sub dio est in loco spatioso multorum hominum capaci. In hoc loco orientem versus exstructum videmus Domini templum, ante quod, ut mihi quidem videtur, throni conspiciuntur ecclesiae et pontificis romani. Ad alterum templi latus thronus stat regis Hierosolymorum, ad alterum autem Synagogae thronus. E regione templi orientem versus Imperatoris romani est thronus, juxta quem hinc regis Germanorum, illinc regis Francorum thronus positi sunt. Meridiem versus in conspectum cadunt throni Imperatoris Byzantini, regisque Babyloniae. Latus septentrionale liberum est relictum, ut choris intrantibus liber pateat introitus. Paulatim enim quos nominavimus personae cum choris suis intrant, cantant chori et carminibus suis diversarum quas comitantur personarum indolem animumque describunt. Intrat primum gentilitas quam ducit rex Babyloniae, unitatem Dei impugnans, polytheismum defendens; incedit post illam Synagoga cum Judaeis, quae carmine suo asserit se in Jesum non credere, confidere autem in uno Deo; ingreditur ecclesia, virgo loricata, corona ornata, ad cujus dextram misericordia cum ramo olivae, ad sinistram autem justitia cum libra et gladio conspiciuntur. Ecclesiam sequuntur a parte dextra Papa cum clero, a sinistra vero Imperator Romanorum cum

exercitu. Ecclesia cantat: *alto consilio* etc. Qui sequuntur eam laudes canunt fidei, quae mortem superavit, infideles omnes damnant. Post ecclesiam reliqui reges intrant scenam, qui quid cantent, non indicatur, in universum tantum docemur, eos conveniens quid et quod ad ludum sit aptum canere.

His pompis finitis, jam plena est scena personarum, quae personae quid agant, quamque illis repraesentandam actionem daturus sit poeta expectatione tenemur. Graves enim, nec levis momenti personas in scenam produxit, indolemque harum personarum per choros quos singulis distribuit recitandos perspicue satis exposuit. Non errabimus igitur si prima hac parte dramatis expositionem datam esse persuasum nobis habemus.

#### S. 6.

Primam hanc partem qua dramatis expositionem dedit poeta, excipit secunda, mere politica. Contendit Romanorum Imperator, universi orbis imperium ad se pertinere. Hoc imperium ut sibi conciliet cum una parte regum sine bello agit, cum illis autem, qui obsequium recusant acie congredditur. Hae actiones et certamina secunda parte ludi nostri continentur. Mittuntur legati Imperatoris Romanorum ad reges, quos ut homines Imperatoris fiant, invitant. Eunt primum ad regem Francorum, cui dicunt, repetere antiquum suum jus Imperatorem Romanorum, quod debilitate majorum suorum amissum sit; debitum tributum et obsequium a rege Francorum reddenda esse Imperatori. Quod cum

rex Francorum neget, affirmetque sibi potius hoc jus in Imperatorem esse, armis se commissa, Gallus vincitur, capiturque; hominem se confitetur imperatoris, et ut in dignitate sua manere sibi liceat petit. Hoc concesso domum redit rex, Imperatoris laudes canens. Eadem legatio cum ad Byzantinorum, Hierosolymorumque reges defertur, sine certamine se subijciunt Imperatori, cujus homines sunt. Christiani reges omnes nunc serviunt Imperatori; at invictus stat Babyloniorum rex ira accensus summa, quod tam late propagaretur Christi fides, sibi quoque proponit hunc errorem a terrae facie abolere. Hoc ut faciat ad circumvallanda Hierosolyma progreditur. Hierosolymorum rex auxilium petit a domino suo imperatore Romanorum, qui per legatos illi promittit, suum illi auxilium non defuturum esse. Dum autem exercitum suum convocat imperator, eni angelus Domini apparet Hierosolyma Judaeam, quae consolatus. Babyloniorum rex ab Imperatoris exercitu superatus fugit. Qua victoria adepta imperator templum intrat domini, Deoque tradit coronam, sceptrum, imperiumque. Secunda dramatis nostra pars hic finitur, quod hoc quoque significatur, quod tam ecclesia (quae in templo remansit), quam Synagoga et gentilitas choros eodem recitant, quos ab initio memoravimus \*)

\*) Scenam et universum repraesentationis modum optime tibi finges, si quae de passionis ludo duos abhinc annos in loco bavaro (Oberdammigau) acto ephemerides retulerunt comparaveris.

Tertia pars dramatis spectatoribus ob oculos ponit, quomodo per Antichristum, principes nationesque omnes quos suae ditionis fecit imperator, subiungantur, imperiumque Antichristus in omnes variis quidem modis sibi comparat. Apparent in initio huius partis primum hypocritae humilitatis speciem prae se ferentes, inclinantes circumquaque et favorem laicorum captantes, et omnes denique ante ecclesiam et regis Hierosolymorum sedem conveniunt, qui honeste eos suscipiens, illorum se consilio subdit. At praecursores tantum Antichristi fuerunt Hypocritae, qui statim illos sequitur, alatus, loricam indutus, cuius ad dextram hypocrisis, ad sinistram haeresis conspiciuntur. Hic fidenter affirmat, regni sui venisse horam, comitesque suas socias in erigendo regno suo sibi sumit; ita ut haeresi iungatur laicorum comparare favorem, hypocrisi autem seducere clerum. Hae summa cum fiducia cuncta bene processura esse Antichristo affirmantes, procedunt cum illo usque ad sedem regis Hierosolymorum ubi hypocritae illis occurrunt, quibus hypocrisis Antichristi adventum quum in aures insusurraverit, hi in cantu, quem ad Antichristum dirigunt, religionis ruinam, ecclesiaeque vanitatem, et quantum sit corrupta per praelatos mundi negotia sectantes, frivolosque viros armatos, describunt et Antichristum ut ecclesiae regimen suscipiat exhortantur; quod quidem facillime procederet, quippe quod ipsi jam seduxerint laicos, clerus autem per Antichristum ipsum nullo paene negotio seduci posset. Respondet

Antichristus, per hypocritas se ipsum in ecclesiae gremio esse conceptum, nunc autem se esse natum et firmiter sibi propositum habere antiquo jure abolito, novum plane jus fundare. Hoc postquam dixit Antichristus, hypocritae districtis gladiis regem aggrediuntur Hierosolymorum, quem victum deponunt, Antichristumque coronant, quae coronatio tertiam dramatis partem claudit.

Manifestavit se Antichristus, et quae nunc in quarta dramatica parte sequuntur, monstrant, quibus modis seductionibusque Antichristus cunctos ad servitium suum conducit reges. Depositus est vi et armis Hierosolymorum rex. Hypocritae ducunt Antichristum in templum domini, ubi thronum ejus collocant; ecclesia conviciis et verberibus expulsa, confugit ad thronum pontificis. Tunc hypocritae legationem suscipiunt ad Graecorum regem, cui nuntiant Messiam modo de coelo descendisse, petuntque ab illo, ut huic serviat, quod nisi statim faciat, armorum vi coactum iri. His minis territus Graecorum rex Antichristi seryum se proficitur, a quo regiam dignitatem recipit, ab illoque literis initialibus nominis Antichristi in fronte signatur, quo signo etiam comites regis Graecorum signantur.

Francorum rex muneribus datis ad partem Antichristi trahitur; Antichristo significante, per subtilitatem Gallorum regni sui adventum praeparatum esse, Gallosque ritui suo adinvenisse formam. Rex Gallorum eodem modo quo Graecorum rex recipitur

et signatur; quo muneribus datis conciliato jam et allecto regem Teutonicorum non muneribus solum oblati, sed adulatione insuper adhibita ad obsequium sibi praestandum commovere conatur Antichristus. Ipsi enim Antichristo terrorem injicit ubique terrarum cantata virtus bellica Teutonicorum. Rex autem munera per hypocrisis magna cum laudis significatione sibi oblata, recusat; intellexit enim fraudem; gladioque seductorem contritum se minatur. Nihil aliud igitur faciendum restat Antichristo, quam ut nationes jam sibi subjectas contra Teutonicorum regem ducat. Quo facto, vincitur. Non tamen desistit a consilio suo. Cum enim nec muneribus nec armorum vi vincere se passus sit Teutonicorum rex, tentatur fraude, quae fraus ita perficitur ut claudus portetur ante thronum Antichristi, cui membrorum usum reddit. Haesitat in fide rex. Producitur leprosus, quo sanato per Antichristum augetur dubitatio regi; tandem cum mortuus, qui mortuus tantum videbatur nec erat, quemque in acie caecidisse hypocritae affirmant, adfertur in feretro, vitaeque restituitur ab Antichristo, qui tam diu restiterat rex Teutonicorum victum se profitetur, et verum Messiam esse confitetur, cui tanta data sit potestas. Coronam ab Antichristo accipit, mittitur ab illo ad devincendos gentiles, et praelio superat regem Babyloniorum, qui hucusque polytheismi veritatem acerrime defenderat. Hic quoque accipit coronam ab Antichristo, cui jam reges omnes serviunt.

## §. 9.

Sola Synagoga restat invicta. Ad illam quoque mittuntur legati, qui nuntiant illi, advenisse Messiam cui ipsi gentiles se subjecerint. Hi legati magis cum laudibus venerabundique adlocuti synagoga, per Messiae adventum jam cuncta, quae hucusque perpessa sit mala finiri, affirmant. His promissionibus moveri se sinit Synagoga, Antichristo obviam ire parat se, Emmauelemque illum salutat. Hic blandis usus verbis promissionis terram illis reddit. Subito autem apparent Prophetæ duo, Enoch cum Elia, Christi incarnationem, mortem, resurrectionem vere factas esse testantur, diu jam advenisse Messiam adfirmant; Antichristum autem hominem esse perditionis nulloque modo Christum. Cum eo ipso tempore velum tollant Antichristi, Synagoga impositum sibi esse, intelligit, et Trinitatem Dei confitetur. Prophetæ coram Antichristo ab hypocritis ducti in professione sua perseverant, quod idem facit Synagoga. Prophetas igitur Synagogaque trucidari jubet Antichristus. Qui dum occiduntur, ecclesia cantat: Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi.

Omnes denique reges ad se convenire jubet Antichristus, ut Deus Deorum ab illis adoretur. Hoc autem dum fit, sonitus auditur super capite ejus, et dum corruente illo, sui omnes fugiunt; ecclesia cantat: „ecce homo, qui non posuit Deum adiutorem suum! ego autem sicut oliva frugifera in Domo Dei.“ Redeunt omnes ad fidem; quos ecclesia suscipit et cantat: Laudem dicite Deo nostro. Sic quinta dramatis pars finitur.

## §. 10.

Singularem curam poeta noster impendit in metris expolendis seligendisque. Differunt inter se metra diversorum chororum, et clare apparet, hoc praecipue cogitavisse poetam, ut per metrorum genus formamque personarum qui constituunt choros significaretur indoles. Sic metri quo gentilitatis chorus scriptus est formam si consideramus, hoc videmus exprimere superbiam, fastum, insolentiam, illudque sonare acsi a feroci bellicosoque agmine festinanter cantaretur atque vehementer \*). Metrum contra quod choro Judaeorum applicuit, quietem spirat, tranquillitatem, confidentiam, pietatem; sancti quid habet, tanquam in templo cantatum audiamus \*\*). Ecclesiae chorus scriptus est metro alacri, vivido, confidenti, animoso \*\*\*). In dialogis eodem semper utitur metro, ut Graeci trimetro, Shakespearius Jambo syllabarum decem vel undecim, Francogalli alexandrino quem vocant, versu, Hispani Trochaeis \*\*\*\*). Antichristus solus in prima sua apparitione diverso utitur metro, quod exultationem exprimit et arrogantiam \*\*\*\*\*), quaeque cum hypocritis colloquitur, haec quoque metro discrepant ab aliis dialogis, scilicet quod haec ad expositionem pertinent. Prophetarum quoque sermones non plane eodem, quo reliqui dialogi scripti sunt metro. Hoc autem explicatur eo, quod Prophetarum ut e coelo descendentes chori potius, quam interlocutorum personam agunt.

\*) Deorum immortalitas est omnibus colenda,  
Eorum et pluralitas ubique metuenda.  
Stulti sunt et vere fatui, qui Deum unum dicunt,  
Quia antiquitatis ritui perpetuae contradicunt.  
Si enim unum credimus, qui praesit universis,  
Subjectum hunc concedimus contrarie diversis etc.

\*\*) Nostra salus in te Domine:  
Nulla vitae spes in homine:  
Error est in Christi nomine  
Spem salutis aestimari.

Mirum si morti succubuit,  
Qui vitam aliis tribuit  
Qui se salvare non potuit,  
Ab hoc quis potest salvari?

Non homines: qui est Emmanuel,  
Deum adorabis Israel.  
Jesum sicut Deos Ismael  
Te jubeo detestari.

\*\*\*) Haec est fides, ex qua vita,  
In qua mortis lex sopita,  
Quisquis est, qui credit aliter,  
Hunc damnamus aeternaliter.

\*\*\*\*) Sic Imperatoris legati ad regem Francorum missi, redeuntes cantant coram Imperatore:

Ecce Franci super telum elati  
 Proterve se opponunt tuae majestati:  
 Immo et imperii tui jus infirmatur,  
 Illud invasorium dum affirmatur.  
 Digna erga poena corrépti resipiscant,  
 Ut per eos alii obedire discant.

Quibus Imperator respondet:

Corda solent ante ruinam exaltari.  
 Superba stultos loqui nolite mirari.  
 Quorum nos superbiam certe reprimemus,  
 Ac eos sub pedibus nostris conteremus.  
 Et qui nunc ut milites nolunt obedire,  
 Tanquam servi postmodum cogentur servire.

\*\*\*\*\*) Mei regni venit hora  
 Per vos ergo sine mora  
 Fiat ut conscendam regni solium:  
 Me mundus adoret et non alium.

Vos adaptas cognovi  
 Vos ad hucusque fovi.  
 Ecce labor vester et industria  
 Ad hoc mihi sunt necessaria.

En Christum gentes honorant,  
 Venerantur et adorant.  
 Ejus ergo delete memoriam,  
 In me suam transferentes gloriam.

# §. 11.

Hunc ludum nostrum si ad leges graecae tragoediae referamus, harum legum summas observatas in illo videmus, actionis dico unitatem, et quod ad metum misericordiamque spectatores commoveat. Quanquam enim obiter consideranti duae sese offerre videntur actiones, una tamen est. Monstrare enim vult poeta per Antichristum cunctas superari nationes, quod ut praeparet primum refert, quomodo sub uno Romanorum imperatoris imperio populi omnes sint congregati. Dicit quidem potest primam hanc dramaticam partem ad ipsam actionem praeparare tantum spectatorum animos nec actionem esse ipsam, sed hoc nullo modo impedire, quin ab initio usque ad finem una agatur actio, nec unquam ab hac actione animum in ludi personas eorumque fortunas intentum avocari declinarique omnes vident. Accedit, quod quidem haud ultimum hujus dramatis decorem existimandum putamus, quod divina providentia, super omnibus personarum in hoc ludo agentium erroribus, fraudibus, levitatibusque elata bonis exoptatum finem, malis interitum destinavit, cujus rei spes alitur spectatoribus tam per ecclesiae synagogaque choros, quam per apparitionem angeli Dei, et Prophetarum. Hoc tamen non impedit quin misericordia moveamur erga victos, flectamurque metu Antichristi videntes successus, qui ne veritas plane exulat e terra, hominesque foedissimis nocentissimisque erroribus maneant obstricti, timorem injiciunt. Credimus tamen, non cum tragoediis Graecorum hunc nostrum ludum conferri debere, si recte justeque

de illo judicare velimus, sed majorem similitudinem offerre cum illo dramate, quo poetarum germanorum princeps allegoricis in scenam inductis personis, quae singulas humanae vitae condiciones referunt, patriae, cujus est decus, interitum imminet, laetamque et gloriosam victoriam ob oculos spectatorum posuit. Hoc autem non ideo dico quod summi poetae indolem ingenique divini vim cum hoc nostro poeta comparare ullo modo vellem. Videbunt tamen harum rerum justae aestimatores genus poeseos idem esse in nostro dramate et in illo, quos modo memoravimus hujus aevi poetae opere, quod inscriptione, quoque significatur quam ille dramati suo quo Epimenidem somno excitatum repraesentat, praefixit.

## §. 12.

Anglorum, hispanorumque dramaticae poeseos historiam considerantes si videmus, quantum in harum nationum dramatis excolendis et ad summum perfectionis fastigium evehendis, mysteria moralitatesque habuerint momenti, haec animo se offert quaestio: Quid, si Germani hoc dramaticae poeseos genus excolendum sibi sumserint, nonne credibile est hac via ingressos ad veri et quod nobilem Germanorum nationem summo opere deceret, dramatis perfectionem prius fuisse perventuros illamque felicius assecuturos fuisse, quam imitatione illa, quae prius Romana, Gallica postea exemplaria sibi sumsit imitanda? At bene novimus, nihil hujusmodi effici quaestionibus, contentique erimus, si

intelligentibus harum rerum iudicibus noster hic ludus paschalis, cujus memoriam resuscitare conati sumus, hac memoria non plane indignum se exhibeat.

## §. 13.

Plura hujus generis dramata his ipsis quo hoc nostrum actum est temporibus scripta esse verosimile esse videtur. Quod si ita se habet dramaticae rei amatoribus non potest quin jucundissimum foret, si cum illis communicarentur. Jacent forte in bibliothecarum recessibus, illarum potissimum qui e monasteriis sese ditaverunt, ejusmodi ludum manuscripti plures. Haec mea scripticula si excitare posset thesaurorum illorum custodes, ut investigent si forte apud illos simile quid occurrat, non frustra scripsisse me confiderem.

---

Haec hactenus. Jam misso facto ludo hoc antiquo ad officium convertimur, quod ad rite celebrandos instantes dies festos vos exhortari jubet, cives ornatissimi. Quos dies ut sicut pios juvenes decet prosequamini, meditantes vobiscum, quanta bona per Christum, mortuum et in vitam restitutum in vos quoque, tu in omne genus humanum redundarint, et quam laeta spes ab

ejus morte et resurrectione in omnes defluerit, hoc autem ex-  
cite mini ut vitam quae digna sit divino servatore, intentis viribus  
agendo, suppliciterque rogando agere conemini, et sic aeternae  
vestrae consulatis saluti enixe vos rogamus.

D. Erlangae die II. mensis Aprilis. MDCCCXXI.



Additamentum ad programma paschale Erlangense MDCCCXXI.

Postquam hujus programmatis plagulae prelum jam relique-  
rant, notitia exoptatissima mihi obtigit codicis nunc Monacensis  
e quo ludus hic paschalis descriptus est. Scripseram nempe ad  
Krabingerum Monacensis bibliothecae custodem, (qui vir doctis-  
simus edita oratione Synesii ad Arcadium de regno summo opere  
dudum se probavit eruditus,) precatus ut hic codex num exstet  
adhuc mihi nuntiaret. Vir humanissimus non solum accuratam  
codicis notitiam mittendo \*) huic meo voto respondit, sed etiam  
in epistola benevolentiae plena plura \*\*) addidit, quibus lectores  
nolui privare, cum his quae docuit vir harum rerum experientis-  
simus multa lux nostro ludo afferatur.

\*) Codex, quo ludus noster paschalis continetur, membranaceus est,  
forma quarta minima; signatus est inter codices qui theodiscis instructi sunt  
glossis numero (provisorio) 42. Tegernseeenses signaverant illum E. 33. Folia  
complectitur 137, scriptusque est, divisa pagina, a monacho Tegernseeensi  
Werinhero (s. Wernhero) sub fine saeculi duodecimi. Werinherus  
sub fine hujus saeculi floruit, et verosimile esse, eum mortuum esse anno 1197  
probavit Günthnerus in libro qui inscriptus est: Geschichte der litterar.  
Anstalten in Baiern. Vol. I. p. 302. Codex noster complectitur tum varia quae  
ad grammaticam, ad theologiam, historiam etc. pertinent, locosque e classicis  
romanis scriptoribus, tum magnam actorum, epistolarumque copiam, quae sub  
fine saec. XIIImi scripta sunt fere omnia. Horum plura Pezio rogante de-  
scripta sunt ab Alphonso Huebero, publicique juris facta in Pezii Codice  
diplom. hist. epistol. Tom. VI. P. 1 et 2, nonnulla quoque continentur in

Meichelbeckii Historia Frisingensi T. I. P. 1. (cf. Pez. Thes. anecdotor. T. VI. P. 1. Praef. p. XIII.) Ludus noster paschalis incipit a folio 2b et desinit fol. 7a. Inscriptionem in codice nullam habet.

\*\*) Codicem hunc a Werinhero ipso scriptum esse clarum fit duobus aliis codicibus Tegernseensibus inspectis, quibus eadem literarum formae adhibitae conspiciuntur, et quos a Werinhero scriptos esse e subscriptione elucet, quae ambobus adjecta est: *Hunc librum Werinherus diaconus et monachus patravit*. Horum codicum primus continet Haymonis chronica forma quarta, alter Petri Dainiani librum de abdicatione episcopatus, Tundali apparitiones etc. eadem forma. Majores tantum, pro ratione formae majoris membranarum, sunt literae in his codicibus, quam in nostro. Hunc Werinherum ipsum ludi nostri auctorem fuisse Günthnerus jam suspicatus est (l. c.); nullis tamen pro hac sua opinione argumentis adjectis. Suspicionem autem verosimillimam esse his argumentis doctissimus Krabingerus adstruere conatus est. Scripsit Werinherus (quod elucet ex epistola quae nostro hoc ipso codice continetur, et in Pezii thes. T. VI. P. 2. p. 55. n. 92 typis excusa exstat; cf. Günthnerum l. c.) *rhythmomachiam* (quae carmina sacra quomodo sint scribenda docet); adscribitur illi ab omnibus fere carmen in honorem Mariae notissimum, quod Oetterus edidit; exstat praeterea fragmentum carminis Werinheriani in Docenii miscellaneis (T. II. p. 103.); habetur denique in hoc ipso nostro codice epistola latina interspersis verbis theodiscis; (fol. 100b) a puella quadam ad amasium suum scripta, ad cujus epistolae marginem adnotationem Docenius stilo cerussato scripsit, quae sic habet: „Die Schrift ist die der Fragmente von Wernher's Gedicht“ (scil. cujus fragmentum in Miscell. l. c. exstat).

His, quas vir doctissimus dedit explicationibus extra omnem dubitationem positum est, ludum nostrum imperatore Friderico Imo regnante scriptum esse,

verosimillimumque fit, illum hoc ipso tempore esse actum. Quam bene haec cum ipso ludi argumento consonent, et quam clara lux ludo ipsi ex historia illorum temporum affundatur, hoc probandum alii loco reservemus necesse est. Nobiscum interim gratiam habebunt harum rerum amatores officiosissimo viro, a quo haec sumus edocti, quae ad penitus intelligendum ludum nostrum quam maxime faciunt. Hoc solum addimus, simile opus dramaticum (quod moralitibus est adscribendum) contineri in Cod. membr. Monac. n. 3. inter codd. monast. fol. max. foll. 303. saec. XIII. Conradi Schyrensis (flor. 1240) nempe carmen rhythmicum, quo Pietas, Justitia, Salvator, Arrius, Marcion, Plato, Nestorius, Jovinianus, Nicolaus, Ratio et Fides inter se colloquuntur, cujusque specimen Pezsius dedit (T. I. Diss. isag. p. XXX.)